

VII

AD POMPEIVM VARVM

*Strophe Alcaica*

Ō, saepe mēcum tempus in ultimum  
Dēducte, Brūtō mīlitiae duce,  
    Quis tē redōnāvit Quirītem  
        Dīs patriīs, Italōque caelō,

Pompei, meōrum prīme sodālium ?  
Cum quō morantem saepe diem merō  
    Frēgī, corōnātus nitentēs  
        Mālobathrō Syriō capillōs.

Tēcum Philippōs et celerem fugam  
Sēnsī, relictā nōn bene parmulā,  
    Cum frācta virtūs, et minācēs  
        Turpe solum tetigēre mentō.

Sed mē per hostēs Mercurius celer  
Dēnsō paventem sustulit āere :  
    Tē rūsus in bellum resorbēns  
        Vnda fretīs tulit aestuōsīs.

Ergō obligātam redde Iovī dapem,  
Longāque fessum mīlitiā latus  
    Dēpōne sub laurū meā ; nec  
        Parce cadīs tibi dēstinātīs.

Obliviōsō lēvia Massicō  
Cibōria explē ; funde capācibus  
    Vnguenta dē conchīs : quis ūdō  
        Dēproperāre apiō corōnās

Cūratve myrtō ? Quem Venus arbitrum  
Dīcet bibendī ? Nōn ego sānius  
    Bacchābor Ēdōnīs : receptō  
        Dulce mihī furere est amīcō.